

Hab. in Turkestan (Kisilkum!), D. FEDTSCHENKO.

Descr.: Corpus subtus fuscescenti-sangvineum vel sangvineo-fuscum, subtiliter albo-pubescent, supra dense albo- et fusco-variegatum, longe albo-pubescent. Caput obscure fuscum vel badium, litura verticis sub-cruciata, linea media frontis longitudinali lineolique subtilibus transversalibus, utrinque cum hac conjunctis, clypei vittis, saepeque etiam loris et bucculis albis, signaturis his autem interdum obsoletis; clypeo fortiter perpendiculariter arcuato, angulo faciali recto; vertice oculo paullulum (σ) vel circiter duplo (Ω) latiore. Rostrum albicans, apice fuscum. Antennae testaceae vel ferrugineae, articulo primo toto secundoque basi late saepeque etiam apice obscure fuscis, hoc articulo sat incrassato (σ), vel pallido-flaventes, graciles, articulo primo apicem versus vel fere toto fuscum (Ω), articulo secundo duobus ultimis simul sumtis longitudine aequali ($\sigma \Omega$). Pronotum album, densissime irregulariter obscure fusco-punctatum et -maculatum, maculis plerumque hic illic confluentibus, interdum fere totum obscure fuscum; basi longitudine duplo — magis quam duplo latius, lateribus rectis, apice longitudine saltem $\frac{1}{3}$ latius. Scutellum ad maximam partem fuscum. Hemelytra alba, punctis fuscis piliferis adspersa adhucque maculis fuscis vel badiis usque in margine laterali variegata, his maculis irregularibus magis minusve confluentibus, plerumque in mare cuneo, basi apiceque exceptis, anguloque corii apicali interno latius fuscis; membrana cum areolis cinerascente, ut in genere *Phytocori* dense hyalino-irrorata, venis albidis vel cinereis, macula ad apicem cunei semi-ovali, apicem areolae minoris attingente, aliaque marginali mox ante limbi medium posita et postice late fusco-marginata albis, inter se arcum obscure nigricantem ad angulum areolae minoris vergentem terminantibus (σ), vel hyalina, venis albis, vena connectente saepc sanguinea, areola majore fuscescenti-irrorata, minore tota fuscescente, disco maculis plerumque sub-rotundis fuscis hic illic adspersis, limbo externo longius ultra medium late fuscum, macula ad apicem cunei aliaque marginali mox supra medium limbi posita albidis (Ω). Pectus et abdomen fuscescenti-sangvinea vel sangvineo-fusca, hoc basi medio praesertim in femina magis minusve late virescens, marginibus segmentorum ventralium albicantibus. Pedes cum coxis albidi, femoribus margine inferiore punctis nonnullis majoribus margineque superiore ante apicem puncto unico fusco-sangvineis vel margine supero vel apicem versus totis fusco-sangvineis; tibiis spinulis albis subtilibus e punctis magnis, in tibiis posticis saepe circa tibiam annulatim confluentibus, fusco-sangvineis, tarsis fuscescentibus.

3. *Atomophora alba* REUT.

Tab. I, fig. 14 e (ungvis pedis antici).

Diagnosis: Alba, albo- vel fere argenteo-pubescent, pronoto, callis apiceque exceptis, scutello hemelytrisque punctis fuscis sat aequaliter conspersis; vertice puncto medio marginali vel atomis tribus basalibus et punctis quatuor in arcum postice concavum positis, fronte lineis transversis, clypeo puncto basali saepeque etiam puncto in angulo interno callorum pronoti basique scutelli